



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque  
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac  
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico  
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

**Sfondrati, Celestino**

**[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.**

10. Alij ab Alexandro in Angliam Legati, sed nullo effectū. Sanctus Henricum convenit, nec tamen flectit: tandem Alexandri Legatis Rex cedit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38277**

Hæ sunt ferè rationes, quas varijs in locis (a) Sanctus Archiepiscopus adducit, ut ostendat, se postulatis Henrici Regis in ultimo colloquio subscribere nequivisse, easque eventus probavit; nam tandem illum à sicarijs extinctum, & Henricus deslevit, fatalisque consuetudines ejuravit, quas Sanctus ferè non poterat: & omnium Angliæ Galliæque votis absolutus est; damnati verò, qui ei obstiterant. Deus ipse tot miraculis ad ejus tumbam patrat, & publicâ totius Ecclesiæ veneratione verum Pastorem fuisse ostendit, qui que animam suam posuerit pro ovibus suis; alios verò mercenarios, & venientis lupi umbrâ perterritos fugacisque. Illam verò rationem præcipuè Sanctus urgebat, videlicet: *Non simulatione, non ingenio regenda est Ecclesia, sed justitiâ, & veritate, qua se observantem liberat ab omni periculo.* Et delicta Regis tam multa, & magna erant, nullòque pudore admitta, ut nec excusari, nec ferri possent, nisi omnium offensione, & publicâ Ecclesiæ clade. Toto quinquennio Archiepiscopo exulante, bona Cantuariensis Ecclesiæ, exulùmque occupaverat: in Sancti amicos tantâ crudelitate sævitum, ut plurimi morte, alij omnes exilio punirentur: nulla venia ætati, aut etiam puerperis data, alij cunis, alij lectis in exilium ferebantur: Lincolnensis, Herefordensis, Eliensis Episcopatus Fisco adscripti: Landavenfis Ecclesia militibus prædæ data. Bangorensis decennio vacavit, & fructus Regi cessere: Clerici nullâ sacrorum reverentiâ carceribus additi, aut membris truncati: alijs oculi effossi, ad duellum acti, alij superstitionis ignis, & aquæ quæstionibus subiecti. Quæ omnia cum palàm essent, nec ea Rex corrigeret, solis pollicitis, & spe contentus, dissimulari ab Archiepiscopo non poterant, multò minus probari. Et tamen, quod vix posteritas credet, nec finem mirandi faciet, Episcopi omnes tam iniquis postulatis assensere; imò, ne errasse viderentur, patrocinati sunt.

X. Nihil interim Alexander omittebat, quo Regem emendaret; cum epistolis nihil proficeret, quartâ Legatione Henricum fatigavit: primâ Wilhelmus, & Otto Cardinales functi sunt, sed paulò post revocati, quòd nimiâ indulgentiâ in Regem uterentur, adeò ut is palàm jactaret: *Se Dominum Papam, & omnes Cardinales habere in bursa sua, seque consecutum esse privilegium Avi sui, qui erat Rex, Legatus Apo-*

(a) V. lib. 2. epist. 28. & epist. 30. & lib. 4. epist. 14. & lib. 2. epist. 46.



*tus Apostolicus, Patriarcha, Imperator & omnia.* (a) Wilhelmus præfer-  
 tim palàm Regi favebat; hinc frequentes in Alexandrum quere-  
 læ, cuius fama laborabat improbitate ministri: alij ergo in An-  
 gliam missi primis revocatis; ij erant Gratianus E. R. Diaconus,  
 Eugenij Pontificis Nepos, & Vivianus Archidiaconus Urbis Vete-  
 ris, pietate & doctrinâ conspicui. Summa mandatorum erat:  
*Muneribus abstinerent imò etiam necessarijs sumptibus, nisi pace obtentâ: pax verò*  
*aqua esset, Ecclesiæ, & Archiepiscopi juribus illibatis: dum compositio ageretur,*  
*abstinerent interim censuris, omnique severitate, qua Regem abalienare, morari-*  
*que possent. Idem observaret Archiepiscopus, conderetque ferrum, dum spes ali-*  
*qua sanitatis affulgeret: pace verò ad diem S. Michaëlis non secutâ, liberum ei esset,*  
*obstipatum ferire, & Regnum Interdicto subjicere.* Hæc Legatis mandata,  
 Rege interim omnia moliente, ut Sanctus Cantuariensi Ecclesiâ  
 moveretur. Ludovico supplicavit, ut Regno eijceret; cui regie  
 responsum est: *Si Anglo tanta cura esset suarum consuetudinum, quamvis Deo*  
*adversantium; multò magis Gallia consuetudines sibi cordi esse, qua miseris affli-*  
*ctisq; & præsertim Sacerdotes justitiæ causâ proscriptos semper sinu receperat.*  
 Mediolanensibus marcarum tria millia promissa: Cremonensibus  
 duo millia: Bononiensibus, & Parmensibus mille, si Alexandrum  
 permoverent, ut Cantuariensem aliò transferret. Ipsi Pontifici pax  
 cum Imperatore, omnium in Anglia vacantium Episcopatumum  
 collatio, Romanorum, qui tumultuabantur, subjeçtio, & tandem  
 marcarum millia decem promissa; sed Pontifice immoto, fleçti que  
 nescio minæ successerunt. Morrardini Turcarum Principis so-  
 cietatem, & Religionem se potiùs amplexurum, quàm ut hunc  
 hominem Cantuariæ, & in Regno videret: adeò Henricus odio  
 flagrabat, ut animum demitteret ad tam indigna, si non potiùs  
 hæ Legatorum minæ, quàm Regis imperium fuit. Respondit  
 Alexander: *Non idèò se impium esse posse, quia Rex perire velit.* (b) Legati  
 humaniter à Rege accepti, quamvis Alexandri litteris offenso. Ubi  
 de pace agi cœptum, varij, multique conventus indicti, sed frustra,  
 Rege semper alio, jam pacato, jam offenso, jam pacem offerente,  
 jam revocante, & minas frequenter miscente; quod cum more  
 suo aliquando faceret, Gratianus Legatus Romanè, impavidè que  
 respondit: *Domine, noli minari, nos enim nullas minas timemus, quia de*  
tali

(a) V. lib. 1. epist. 179. &amp; lib. 2. epist. 58. (b) Vid. lib. 2. epist. 66.



*tali Curia sumus, quæ Regibus, & Imperatoribus consuevit imperare.* (a) Inter alias pacis conditiones illam præsertim Rex urgebat, ut videlicet Archiepiscopus sponderet, se officio quidem suo functurum, *Salvâ tamen dignitate Regni.* Aequissima videbatur conditio rem non intelligentibus: sed eam Legati rejiciebant: nam per dignitates Regias, consuetudines illas notabant olim damnatas, addebantque: si nomine Dignitatis Regiæ jura Regum, & Coronæ intelligerentur olim à Regibus Angliæ possessa, nihil litis superesse, nec ea Archiepiscopum morari, paratûmque jurare, imò jam olim jurasse; cæterum eo nomine abusus celari, Ecclesiæ toti, nec tantum Angliæ fatales: mirum esse, Regem, qui nuper hanc formulam ab Archiepiscopo propositam repulerat, videlicet: *Salvo Dei honore;* jam aliam velle minus necessariam; an ergo Rex præ Deo esset? aut si non esset, cur honori suo parci, non Dei vellet? aut ergo omitti eam formulam velut captiosam debere, aut exprimendum, quænam illæ Regiæ dignitates essent, quarum curâ adeò premeretur? Quòd si neutrum placeret, illud saltem promitteret, aliam, parèmq; formulam adjici, quæ Ecclesiam æquè ac Regem protegeret, videlicet: *Salvâ Ecclesiæ libertate.* Hâc enim nihil Regibus adimi, sed ea tantum Ecclesiæ dari, quæ aliàs deberentur.

Justa erat postulatio, ac plena honestatis; quid enim æquius, quam ut Regis juxtâ Ecclesiæque dignitati caveretur? à Regijs tamen admittenda non est, & ideò Legati desperatâ pace Regno excessère, non ideò tamen abssistebat Pontifex, sive beneficiorum, quæ à Rege acceperat, memoriâ, sive spem omnem necdum consumpserat, sive, quod vero propius est, verebatur Regem aliàs indomitum, & in extrema promptum ad defectionem urgere, parcebat ergo, sperabatque: tertiam interim Legationem adornat, & litteras, quas Legati ferebant, minis aspergit, ac initium Quadragesimæ ineundæ paci præscribit: alijstamen secretò datis Regem orat, monètque, & paternâ charitate demulcet, utque magis devinciat, interdicit Archiepiscopo, ne in Regem Regiòsque potestate suâ utatur, nisi pacè compositâ; quæ causa illi fuit rem in longum trahendi, ludendique Pontificem ostentatâ semper pace, at nunquam factâ. Parisijs Reges Angliæ, Galliæque conveniunt;

K 2

runt;

(a) Vide lib. 3. epist. 6.



runt; adfuit Archiepiscopus, Legatorum, aliorumque Episcoporum, ac Ludovici Regis monitu nihil omisit, quo placari, molliorque Rex posset: flevit, rogavit, procidit, juravitque, nihil se charius, aut antiquius habiturum Regis obsequio: etiam Regni consuetudines servaturum, quantum tamen per conscientiam liceret, & Dei Leges paterentur; verba Archiepiscopi hæc sunt: *Pro pace Ecclesie, & gratia Regis promitto, me consuetudines illas, quas Sancti Antecessores mei Regibus suis servaverunt, salvo ordine meo servaturum, quantum secundum Deum possum: & faciam pro amore ejus recuperando, quidquid possum, salvo honore Dei.* (a) Quid amplius posset? At Rex tam æqua indignatus, colloquium abruptit, discessitque: epistolas verò Pontificis, quas secretas volebat, & cum pompa ostentabat, insultabatque Archiepiscopo potestate suâ minuto: hinc in Alexandrum omnium ferè calamitatis, & linguæ provocatæ; querebantur enim (b) innocentem Archiepiscopum non deserere tantum, sed etiam ludibrio exponi, obstinari verò Regem indulgentiâ, & beneficijs importunè oblati: quæ omnia Alexander excusavit malitiâ temporum, & pejorum metu: (c) revocavit tamen gratiam Anglo concessam, & abusu corruptam; nec tamen desperavit, quartâ & ultimâ Legatione expugnando Regi admotâ: eâ perfuncti sunt Episcopi Nivernensis, & Senonensis, & Archiepiscopus Rothomagensis; ijs mandatum, Regem permoverent: *Archiepiscopum, aliosque exules Angliâ redderet: Ecclesijs ablata restitueret: consuetudines Ecclesiasticæ libertati adversas, & fomitem discordiarum aboleret: Episcopos, qui illis subscriperant, juramento liberaret: & denique intra dies quadraginta finis litibus esset: aut Rege abnuente, Provincia Cismarina, ubi is morabatur, Interdictis subjacerent: & si obstinari pergeret, eandem sententiam expectaret, quam Fridericus Imperator.* Hoc ultimum Regem fregit, coronæ suæ anxium, & exemplo Friderici pavidum; pacem ergo festinavit.

XI. Locus feriendæ paci destinatus, pratum fuit, amænissimum quidem, sed nialo omine proditorium appellatum. Ubi venientem Archiepiscopum vidit, caput aperuit, exiitque in amplexum, & loqui parantem ne admisit quidem, prævenitque: postea mutuis colloquijs, & gaudijs perfuncti soli in partem secedunt,

(a) Vide lib. 4. epist. 8. (b) V. lib. 4. epist. 14. 1. 22. 23. 25. 28. (c) Vide lib. 4. epist. 16. 17. & 51.